

Stillingfleet *Miscellaneous tracts of natural History*. Lond. 1762. 8°.

Hill *vegetable Systeme*. Lond. 1759. fol. anatomie plantarum pulchris iconibus.

Gouani flora monspeliensis prodiit, sed non vidi, uti nec Gerard *Flora galloprovincial*. nec Halleri emendationes.

Vale . Upsaliae 1762, d. 4. Julii.

21.

Viro amplissimo DD. Nic. Jos. Jacquin s. pl. d.
Car. Linnaeus.

Tuas die 28. Augusti hodie habui, in quibus urges me non respondisse Tuis 26. Maji, quas tamen eodem die quo accipere respondebam, uti aperte testantur Tabellarii schedulae, nescio cur non acceperis.

Gratias itidem in ultimis meis Tibi obtuli devotissimas, pro Flora Tua vindelicana, quae certe erat pulcherrima omnium, quamque in meo opere incepti allegare ab eo die, quo eam accepi.

Grates etiam in ultimis reddidi pro tot egregiis americanis tabulis quibus me beasti, uti et nunc ago pro transmissis characteribus, cum habeam et characteres et figuras, possum satis sufficienter videre generum certitudinem, et ea in meis allegare, quae antea vix audebam.

Androsace Tua videtur plane nova et valde singularis, an apud vos frequens? forte orta sit haec recentiori aevo ab *Androsace* maxima, nunc certe distincta est species. Quaestio est certe maximi momenti, utrum novae species indies orientur, vel ut clarius dicam, utrum species sint temporis filiae et genera primordii? certe Tua est valde singularis.

Insecta 2 misisti.